



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 3. An Præcepto Eleemosynæ satisfacit per mutuum, venditionem, vel
alium contractum onerosum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

tes corporales, & spirituales suorum subditorum: quia illorum curam ex Officio gerere debent, & erga illos parentum vicibus funguntur. *Cum præcepto divinò mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est . . . pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere.* ait Trident. sess. 23. cap. 1.

Q. 3. *An præcepto eleemosynæ satisficit per mutuum, venditionem, vel alium contractum onerosum?*

Resp. I. Si proximus sit tantum pauper secundum quid, hoc est, si hic, & nunc careat necessariis, sed habeat alibi bona, vel spem certam, ac proximam habendi ex fundo, agro, successione, vel ex industria propria, &c. Satisficit ei mutuando, non numeratâ pecuniâ vendendo &c. id, quo indiget. Quia talis non est absolutè, ac simpliciter pauper, & egens, cum indigeat solum pro definito aliquo loco, & tempore; nec indiget ipsa re ut gratis danda, sed solum mutatione rei. Ergo non teneor ei dare absolutè, & simpliciter. Sic Charitas sufficienter exercetur erga peregrinum hic versantem, dando ei unde necessitati subveniat, cum onere restituendi, cum erit in patria, ubi multa bona habet. Sic sufficit mutuari frumentum agricolæ nunc egenti, sed uberrimam messem expectanti.

Ff 2

Resp.

Resp. II. Si proximus sit absolutè pauper ita, ut nullibi bona habeat, nec spem proximam, ac certam habendi; tunc est obligatio ei dandi necessaria gratis, & absque onere restituendi. *Ita Azor, Valentia, Sanchez & alii multi.* Prob. 1. ex Luc. 14. *Cum facis convivium, voca pauperes: & beatus eris, quia non habent retribuere tibi.* & ex cap. 10, ubi Samaritanus in exemplum debitæ Charitatis adductus, gratis opitulatur. 2. Quia nomine eleemosynæ Scriptura, & Patres intelligunt liberalem, & absolutam donationem factam pauperi; & hanc significat verbum *Do* simpliciter, & absolutè prolatum. Enimverò vendere, locare, mutuare non est eleemosynam facere: alioquin cum pauperibus divites vendunt, dicerentur eis eleemosynam facere. 3. Patres supra citati docent bona superflua divitum deberi pauperibus. 4. Charitas exigit, ut proximo absolutè, & simpliciter egenti subveniamus modo consentaneo Charitati, quæ non quærit, quæ sua sunt; & ejus miseriam absolutam levemus absolutè, ac sine ullo onere.

Q. 4. Ex quibus bonis facienda est Eleemosyna?

Resp. Ex solis bonis propriis, quorum libera administratio habeatur, non ex alienis